



## Bibliographische Daten

Titel: Alexander de Villa Dei; De forma vivendi monachorum; Perikopen;  
Novum Testamentum. - Nürnberg, STN, Cent. I, 81  
Signatur: Cent. I, 81

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der [Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0](#) uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

caluarie: ibi crucifixerunt eum. Et latrones: unum a dextris: et alterum a sinistris. Iesus autem dicebat. Pater. Dimitte illis. Quia nesciunt quid faciunt. Dividentes autem vestimenta sua: miserunt sortes. Et stabat populus expectans. Et deridebant eum principes cum eis: dicentes. Alios saluos fecit: seipsum saluum faciat: si hic est christus dei electus. Illudiebant autem ei et milites accedentes: et acetum offerentes illi dicentes. Si tu es rex iudeorum: saluum te fac. Erat autem et superscriptio scripta super eum: litteris grecis et latinis et hebraicis: Hic est ihesus rex iudeorum. Unus autem de hijs qui pendebant latronibus: blasphemavit eum dicens. Hi tu es christus: saluum fac te ipsum et nos. Respondens autem alter: increpabat eum dicens. Neque tu times deum: qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste. Nam digna factis recipimus. Hic vero nichil mali gessit. Et dicebat ad ihesum. Domine memento mei: cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi ihesus. Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta et tenebrae facte sunt in universa terra usque in horam nonam. Et obscuratus est sol. Et velut templi scissus est medium. Et clamans voce magna ihesus: ait. Pater. in manus tuas commendo spiritum meum. Et hec dicens. expiravit. Videns autem centurio. quod factum fuerat: glorificavit deum dicens. Vere. hic homo iustus erat. Et omnis turba horum qui simul aderant ad spectaculum istud: et videbant que fiebant: percutientes pectora sua reuertebantur. Habebat autem omnes noti eius a longe: et

mulieres que secute erant eum a galilea: hec videntes. Et ecce vir nomine ioseph. qui erat decurio: vir bonus et iustus: hic non consenserat consilio et actibus eorum: ab arimathia civitate iudee: qui expectabat et ipse regnum dei. Hic accessit ad pilatum et petiit corpus ihesu. Et depositum involuit in sindone. et posuit eum in monumento excavo. In quo nondum quisquam positus fuerat. Et dies erant parasceues et sabbatum illucescebat. Subsecute autem mulieres que cum ipso venerant de galilea. viderunt monumentum. et quemadmodum positum fuerat corpus eius. Et revertentes paraverunt aromata et ungenta. et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. **Capitulum xxxiii.** **Q**uia autem sabbati ualde diluculo venerunt ad monumentum portantes que paraverunt aromata. et inuenert lapidem reuolutum a monumento: et ingressae non inuenert corpus ihesu. Et factum est. dum mente consternate essent de isto: ecce duo viri asciterunt iuxta illas in ueste fulgenti. Cum timerent autem et declinarent uultum in terram. Dixerunt ad illas. Quid queritis uiuentem cum mortuis? Non est hic. sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est uobis. cum adhuc in galilea esset. dicens. Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum propter et crucifigi. et tertia die resurgere. Et recordate sunt uerborum eius. et ingressae a monumento nunciauerunt hec omnia illis undecim: et ceteris omnibus. Erat autem maria magdalene. et iohannes. et maria iacobi. et ceterae que cum eis erant. que dicebat